

Heinrich Rudolph Redecker

**Heinricus Rudolphus Redeker ... Ad Disputationem Inauguralem, Quam ... Dn. Samuel Schütze/ Gustr. Meckl. I. U. Cand. Praestantissimus De Hereditate Conventionali, Die XX. Iunii in Auditorio Maiori solenni more habendam constituit, Omnes literatos & qui literatis bene cupiunt. ... officiose & amanter invitat**

Rostochii: Kilius, [1667]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741215535>

Druck Freier  Zugang



Biblische Erbschaft


R U. jur. 1667

Heinrich Rudolf Redeker, Preis.

Samuel Schütz, Resp.

mit Boogr.








# HEINRICUS RUDOLPHUS

Redeker/



Jur. D. Prof. P. Consist. Ducalis  
Assess. Sereniss. Ducis Meckl. Consil. p. t.  
Univ. Rostoch. Rect. & ad hunc actum

Decanus,

Ad Disputationem Inauguralem,

Quam

*VIR* Prænobilis,

**DN. SAMVEL Schütze/**

Gustr. Meckl. J. U. Cand. Præstantissimus  
De

## HEREDITATE CONVENTIONALI,

*Die XX. Junii in Auditorio Majori solenni more,  
habendam constituit,*

Omnes literatos & qui literatis benè  
cupiunt.

Suo & Ampliss. Facult. Jur. nomine officiosè &  
amanter invitat.

---

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

39





Salutem!



*D*omitius Ulpianus J.C. quem Modestinus coryphaeum & principem Jurisconsultorum, Diocletianus Imperator prudentissimum, & religiosissimus Justinianus disertissimum, & summi ingenij virum vocant, & qui Emilium Papinianum, sublimissimum & acutissimum Jctum, ab initio habuit Praeceptorem, in robusta aetate Praesidem & collegam, postea autem Antecessorem, cum ex variis rerum & doctrinae argumentis, periculosam esse legum mutationem adadidicisset, egregie scripsit: In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum visum est. Hinc & Paulus J.C. qui una cum Ulpiano Assessor consultiissimi Papiniani fuit: minime, inquit, sunt mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt. Siquidem mutationem legum, morum quoque mutatio ut plurimum sequi solet. Quemadmodum enim in aedibus, uno aliquo signo inepte sublato, totum plerumque ruit aedificium: Sic legis mutationem universi Status Reipb. quandoque ruina consequitur. Haec autem consentiens est politicorum sententia eo usque, ut plerique existiment, rectius se habere Rempb. quae legibus, etiam non omnino recte habentibus, constanter utitur, & in perpetuam convertis observantiam, quam quae subinde Leges mutat. Recte Augustinus: Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate



vitae perturbat. Laudaturq; dictum Cleonis: Eam Rempb. quæ  
malis quidem, sed tamen immotis LL. utitur, præstantiorem ef-  
ficillâ, quæ bonis quidem LL. utitur, sed tamen mobilibus, & in-  
constantibus. Lyncurgus prudentissimus Lacedamoniorum Legulator,  
cùm, ad consulendum Apollinis oraculum, quid de Legibus à se latis sen-  
tiret, Delphos proficisceretur, Cives suos, uti Plutarchus in ejus vita  
testatur, jurejurando devinxisse fertur, ne quicquã, antequàm reverte-  
retur, de Legibus suis immutarent. Postquam autem Delum delatus,  
ex oraculis responso accepisset: Omnia, quæ sancivisset, justa simul & æ-  
qua esse, nec interituram Lacedamonem, dum iis pareret legibus: Re-  
sponsum quidem oraculi Lacedamonis misit, ipse verò, amore Patriæ,  
mortem sibi, quod schola Stoicorum decorum credidit, conscivit, violentasque  
intulit manus; ut desperato ejus reditu, & manente apud illos  
jurisjurandi religione, de Legibus abrogandis nunquam cives sui eo-  
gitarent. Hinc probat Cicero pro L. Flac. Lacedamonios septingentos  
annos unis moribus & nunquam mutatis legibus pacatissime vixisse,  
cui malo ut etiam occurrerent Locrenses, ejus cervici, qui nova legia  
reperor erat, laqueum immittebant, ut ita legem ipsis pro concione  
recitaret: Quæ si placeret, sine omni laude aut remuneratione auctoris,  
ferebatur; Sin verò perniciofa esset, aut talis quæ inutilis futura aut  
quam perferre nollent, eo ipso suffocabatur semeratus Nomotheta.  
Hoc autem Locrensiurn statuto factum est, ut iisdem legibus ac mori-  
bus per ducentos annos, auctore Demosthene, absque novâ lege fe-  
liciter vixerint. Nihil enim est, quod Civitatis formam perniciosius pos-  
sit labefactare atque corrumpere, quàm Legum rogandarum aut abro-  
gandarum facilitas. Salutarius verò ter magè est, & statui probè for-  
mato conducibilius ac laudabilius, si mores civium ad leges prudenter  
latas fingantur, quàm si cum moribus mutantur leges; Siquidem uti so-  
la antiquitatis effigies videtur esse veneranda, ita inveterata majorũ  
observantia majorem affert admirationem & venerationem imperi-  
ta multitudini, quàm lex nascentis & noviter formata. Nam crebra Le-  
gum



gammovationes, & novarum constitutionum multitudo sibi ipsis abro-  
gant auctoritatem, adeoque lex aut nullam aut exiguam admodum habet  
auctoritatē, nisi eam sibi vetustate & longā parentē consuetudine compa-  
rari. Illi itaq; multitudo Legum veris Politicis non suspecta tantum,  
sed maxime praecavenda est, quoniam, docente Lipsio, inde litigandi ars  
ac studium desumitur: & Tac. l. 3. Ann. ubi de multitudine infinitā &  
varietate juris differit: utque antehac flagitiis, ita tunc legibus  
laborabatur, & brevi post: corruptissima Repb. plurimæ leges.  
Ita multò magis vitanda & severè abolenda est continua legum varia-  
tio: Eò præclara Augustissimi Imperatoris Augusti cohortatio ad Sena-  
tum Romanum respicit: Positas semel leges constanter servate,  
nec ullam earum immutate: nam quæ in suo statu eademque  
semper manent, etsi sint nonnihil vitiosa, utiliora tamen sunt  
his, quæ per innovationem, vel meliora inducuntur. Novit  
optimus Imperator populi sui mores, qui leges antiquas, quæ tamen  
bono & equo sapius nitebantur, odio vel gratiâ privatorum hominum  
perverterunt & abrogarunt. Multi etiam inani laudis aut glorie  
spe novorum scitorum & Edictorum auctores esse voluerunt, ut ali-  
quid in commune bonum attulisse viderentur. Ex quo etiam factum  
est, quod Tribonianum avaritia eousq; indulgentem fuisse quidam,  
Suidâ autore, clamitant, ut lucro venale jus habendum semper duxe-  
rit, ac sordidâ dinundinatione leges antiquare, easq; figere acrefigere  
instituerit. Et Procop. lib. 1. de Rep. Pers. prævo judicio id laudi  
tribuit ipsi Triboniano, quando eum singulis diebus leges aut antiquasse  
aut condidisse, uti ex usu ipsi videbatur, scribit. Exempla autem  
quadam LL. abrogatarum collegit Speckh. cent. 3. cl. IV. q. II. Gloria-  
sur quidem, interprete procul dubio Triboniano, Justinianus, quod om-  
nia in luculentam crexerit consonantiam, & quod nulla contrivocia,  
nec ulla similitudo, sed una concordia & una consequentia, adversario  
nullo constituto, in omnibus obtineat. Verùm si fateri liceat, quod rea  
est, multas de eadem re occurrere leges nemo non videt, melius ve esset,  
& ad accuratam LL. interpretationem apprimè faceret, si LL. XII. tab.  
¶ quæ



Et quae postea fuerunt leges, edicta, consulta, responsa praevenerunt, constitutiones, &c. ex quibus leges moderna, tanquam particulae, collectae & compositae sunt, integrè mansissent. Nam si legalis sapientiae fontes adhuc haberemus illibatos, per tractatorum seriem, imò per praecedentia & consequentia levius & exquisitius omnia expediremus, nec haberemus per totam vitam in illis commentatorum rapsodiis, quae saepius studiosum animum avertunt, raro autem ad veram civilem prudentiam metam perducunt. Verum enimvero excusandus merito est Justinianus, qui de glorioso factò meretur laudem, excusandus etiam Tribonianus, ad cuius sinceritatis ministerium ille respexit, respiciendum potius ad nostra tempora, in quibus jurisprudentiam magis confusam ac incertam videmus, & innumerabili aceruatorum librorum cumulo involutam, ac autem Leges quidem sunt in Codice, sed favor est in iudice. Hodie enim relictae legibus, prout favor vel odium iudicis rem discernit, ad stylum curiae, ad statuta, ad consuetudines, ad praedicta, ad commentarios interpretum, imò ad propriam sapiuscule confugiunt opiniones qui Sacerdotes Juris & iustitia esse debebant. Neque ulla causa tam liquidò in lege decisa videtur, quin vitiosus litigator rationem juris, sine tamen ratione, pro iudice, possit inverti. Adeoque si unquam, vel hodie certè iure planè incerto utimur, & pro lucro reputamus, si aliquando deciso iuri & iustitia conveniens obtineatur. Exemplum huius incerti & confusi juris, ut alia id genus sexcenta praeteream, in quo iudices simul & advocati saepius variant, & quid, collatis utroque rationibus, pro indubitata aequitate statuendum aut decernendum sit, ipsi ut plurimum dispicere nesciunt, Pacta de futura successione clarissimum praebent. Si enim ad Jus Justinianum respexerimus, concursus videtur esse legum consensus, qui etiam in regulam juris abiit, omnimodo huiusmodi pactio de adventura hereditate, contra iustitiam, & contra bonos mores iniusta, esse odiosa, captatoria & plene vitiosissima & periculosa eventus l. 19. ff. de donat. l. 61. ff. de V. O. l. ult. C. de pact. l. 25. C. di. transact. Hinc abominanda & impia haec pacta esse interpretes Legum Justiniani clamitant. At Imperator Leo: Neque

aquum



æquum est, nec rationabili animali convenit, scribit, pacta conventa  
per improbationem adulterari. Atqui si quid aliud, hoc certè hominem  
deceat, ut verbis suis fidem præsteat: nisi mendacius veritatem corrup-  
pendo destituta ratione, eorum alio, quæ ratione prædita sunt, excide-  
re velit. Bonifacius VIII. Quamvis pacta illa, utus renunciativa,  
lex civilis improbet, si tamen juramento sint firmata, crumino servari  
debere in suis decernit Decretalibus c. quamvis de pact. in 6. Statuta  
& locorum recepta & inveterate consuetudines, illa pacta, dummodo  
rite inita fuerint, impensius confirmant. Unde cordolendum &  
ignoscendum ei, scribit Cothmann. V. 2. consil. 78. n. fin. qui  
contra hac pacta disputat, quod, quæ quotidiana, non didicerit,  
& jus, in quo hodie versamur, ignoret. Hinc Practici pacta  
hac cum ratione & judicio naturali congruentia, bono consilio in-  
troducenda & Reipb. utilia, adeoq; tanquam pia & equa servanda & ob-  
servanda scribunt, cum & juri divino conveniant Tob. c. 7. vcr. 16.  
& c. 8. vers. ult. Coler. de Process. Exec. p. 1. c. 8. n. 54. Zas. l. 2. Cons. 1.  
Sitamen ad facti speciem deventum fuerit, rationes rationibus oppo-  
nuntur, & uti responsa & decisiones DD. testantur, vix est quin o-  
mnia in incertum iterum redigantur; quod hic uberius prosequi insti-  
tuti ac programmatis ratio vetat. In hoc autem legum & DD.  
conflictu Vir Prænobilis DN. SAMUEL Schütze Gustr. Mecl. J. U.  
Cand. Præstantissimus, Affinis noster singulariter dilectus, in animum  
induxit suum de Hereditate Conventionali inauguralem conscri-  
bere disputationem, eamque, pro consequendis summis in jure  
honoribus, publicæ velitationi submittere. Uti autem Hic ho-  
nestissimis simul & præclaris natus est parentibus, Patrem enim  
habuit Virum Prænobilem & Amplissimum DN. DAVID Schützen  
p. m. Sereniss. Ducis Mechl. Quæstorem, & Præfectum supremum in  
Schwan fidelis. Socrum nostrum venerandum, Matrem autem fe-  
minam virtutum ornamentis clarissimam SOPHIAM Arnimss Socrum  
nostram honorandam b. m. Ita etiã à teneris providè educatus,  
omnem impendit operam, uti, ad exemplum Amplissimorum  
suorum



suorum Fratrum, DD. Clariss. ad solidam artium liberalium scientiam feliciter posset adspirare. Prima autem humanioris literaturæ rudimenta in Scholâ patriâ, Præceptore Viro Clarissimo Dn. M. BLASIO GRABIO, jam laudatâ Scholâ, tunc Con-Rectore, hodiè autem Scholâ hujus urbis Rectore fidelissimo, jecit. Cum autem idoneus videretur, qui ad Scholas Regias cum fructu ablegaretur, Consilio Optimæ matris, & amicorum die 1. Novembr. Anno 1657. ad hoc nostrum se contulit Lyceum nostroque usus est convictorio ac moderamine, adeoque per integrum triennium hic, non sine studiorum suorum magno emolumento, substitit. Hinc, virtutis & doctrinæ gloriâ incensus, in Wittebergensem se contulit Academiam, & studia hic bene cœpta, etiam ibidem, per triennium & quod excurrit, summâ cum diligentia continuavit. Noluit autem in publicâ illâ pariter & celeberrima virtutum ac doctrinæ palæstra silentiariam agere vitam, sed hoc egit sedulo, uti singulari ardore discendi *Excellentissimis Dnis Professoribus*, Dno ZIEGLERO, Dn. LISERO, & Dno NERGERO *Jcis celeberrimis*, quorum strenuus auditor fuit, innotesceret, seque illorum favori, quem etiam amplissimum expertus est, insinuaret. Præprimis autem ibidem *Virum Excellentissimum & Consultissimum* Dn. DIETERICUM COCHIIUM *J. U. D. Amplissimum*, hodiè Reipub. Magdeb. *Consiliarium dextrimum*, cujus hospitio usus est, Præceptorem nactus est fidelissimum, sub cujus præsidio Disputationem *de Jure thesauri* probè scriptam, cum laudabili auditorum applausu publicè defendit. Relictâ Wittebergensium Academiâ, ut exterarum etiam regionum & gentium mores ritusvè perlustraret, in Belgium se contulit, & postquam Academias celebriores peragrasset, in Ultrajectensi itidem per triennium, non sine magno studiorum suorum incremento, substitit, & *Viri Nobilissimi & Excellentissimi* Dni REGNERI CYPRIANI *Jcis celebratissimi* informatione usus est. Tandem  
ad




ad piæ matris vota, cui etiam ultimum præsens præstitit amoris officium, dum ejus insperatas ivit exequias, domum reversus, non abs re suâ futurum credidit, si ad supremos in jure, cui per integrum decennium indefessam præstitit operam, honores consequendos se præpararet. In examine itaque privato & satis rigorosè instituto, tales in jure progressus ostendit, ut nemo non eum dignum judicaret, qui publico etiam sisteretur examini. Conscripsit itaque *Disputationem Inauguralem de Conventionali Hereditate* sic satis accuratam, quam XX. die Junii publicè, prout moris, habendam constituit. Noluit enim victoriam ante publicum reportare certamen, adeoque non precibus vel pretio, sed virtute & factò honores promereri decorum duxit, secutus monitum Imper: Hadr. rescribentis illis, qui de jure respondere cupiebant: *Hoc non peti, sed præstari solere.* Ut autem de singulari Dn. Candidati eruditione eò exactius constare possit, & actus hic solenni ritu terminandus augustior reddatur: Ego omnes Literatos, & qui literatis, præprimis autem Amplissimæ nostræ Facultati, & Clarissimo Dno Candidato benè cupiunt, amicè & officiosè rogo, ut velint honoratâ præsentia linguisque actum hunc celebriorem efficere.


P. P. sub Sig. Fac. Jur. IX. Jun.  
Anno 1667.

os ( O ) so











suorum Fratrum, DD. Clariss.  
 tiam feliciter posset adspirare  
 turæ rudimenta in Scholâ pa  
 M. BLASIO GRABIO, jam lau  
 diæ autem Scholæ hujus ur  
 autem idoneus videretur,  
 ctu ablegaretur, Consilio  
 J. Novembr. Anno 1657.  
 ceum nostroque usus est co  
 per integrum triennium hæ  
 gno emolumento, substitit  
 incensus, in Wittebergen sen  
 hic bene cœpta, etiam ibide  
 summâ cum diligentia conti  
 illâ pariter & celeberrima vi  
 tiariam agere vitam, sed hoc  
 cendi *Excellentissimis Dnis*  
 LISERO, & Dno NERGER  
 nuus auditor fuit, in potesc  
 etiam amplissimum exper  
 tem ibidem *Virum Excellent*  
 TERICUM COCHIIUM *J*  
*Magdeb. Consiliarium dextero*  
 ceptorem nactus est fidelit  
 tationem *de Jure Thesauri* p  
 torum applausu publicè de  
 Academiâ, ut exterarum et  
 ritus vè perlustraret, in Bel  
 demias celebriores peragr  
 ennium, non sine magno s  
 stitit, & *Viri Nobilissimi S*  
 PRIANI *JCi celebratissimi*

rtium liberalium scienti  
 tem humanioris litera  
 tore Viro Clarissimo Dn.  
 tunc Con-Rectore, ho  
 delissimo, jecit. Cum  
 holas Regias cum fru  
 natris, & amicorum die  
 trum se contulit Ly  
 c moderamine, adeoq;  
 studiorum suorum ma  
 tutis & doctrinæ gloriâ  
 Academiâ, & studia  
 mium & quod excurrit,  
 oluit autem in publicâ  
 doctrinæ palæstra silen  
 ti, uti singulari ardore dis  
 cendi, Dno ZIEGLERO, Dn.  
 eberrimis, quorum stre  
 illorum favori, quem  
 auaret. Præprimis au  
 consultiſſimum Dn. DIE  
 ſſimum, *hodie Reipub.*  
 s hospitio usus est, Præ  
 o cujus præsidio Dispu  
 tionem, cum laudabili audi  
 elictâ Wittebergenſium  
 um & gentium mores  
 tulit, & postquam Aca  
 rajeſtensitidem per tri  
 orum incremento, sub  
 ni Dni REGNERI CY  
 ne usus est. Tandem  
 ad

